



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, 1709

XXVI. Octobris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

B. Elisabeth Ord. Servatum B. V. Mariæ doloribus colendis addictissima, sodalitatem 7. dolorum B. V. hodie approbatam revocat in memoriam, suam illa Dominam fidelis ancilla 50. de die & totidem vicibus de nocte salutavit, peccatorum veniam & lætitiæ spiritualem ab ea petens. *P. Auriema p. 1.*
Per dolores pervenitur ad gaudia.

B. Elisabeth ora pro me Deiparam, ut illa in hac valle lachrymarum causa mihi fiat lætitiæ, non quidem temporalis hujus, & vanæ, quæ plus amaroris habet, quàm gaudii, sed illius, quæ nascitur ex pura conscientia. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies milles, imò infinities te saluto: te omnipossibili omnium possibilium & actualium
&c. fol. 190.

Ad quod impetrandum: Singulis horis Mariæ memoriam hodie renovabo & gratulabor propiorem me esse Mariæ in cælo videndæ.

O graves, & nobis inexplicabiles cruciatibus, quos Maria cum filio, & propter filium annos 30. sæpe sustinuit, atque ut arbitror, pro sua modestia nulli hominum patefecit. *Canis. l. 4 de Deip. c. 25.*

Quæstio: An uni Deiparæ plus profuerit Incarnatio Christi, quàm cæteris omnibus creaturis? *v. Vega Rheol. Mar. n. 1807.*